

omnia ordinare & disponere, & bene omnibus persuadere: hęc autē omnia manifeste competunt consyderanti causas primas & prima principia rerum, sapientia ergo est circa talia.

*Vbifū. Sapientia est scientia speculatiua.*

7

Hanc enim quærunt homines propter scire, ut ignorantiam fugiant, propter ignorantiam enim admiratio hominibus accidit, & propter admirari cœperunt homines philosophari: qui enim admiratur, ignorare uidetur: ut ergo ignorantiam fugiat, quærit causam rei, de qua admirationem habet: unde non quærit causam propter aliquam aliam necessitatem, sed solum propter scire, cuius signum est, quia homines omnibus acquisitis, quę sunt uitę necessaria, hanc scientiam quęsierunt: sapientia igitur est inuenta solū propter scire, est ergo speculatiua, cuius finis est cognitio ueritatis.

*Vbifū. Sapientia est libera.*

8

Quia est solum gratia sui, & gratia cognoscendę ueritatis, & ad nullam aliam scientia ordinatur, sed magis omnes ad ipsam, quia consyderat ultimum finem, qui est causa causarū omnium.

*Vbifū. Sapientia non est proprię humana possessio.*

9

Natura enim humana multipliciter est serua, & impedita propter multas huius uitę necessitates: est tamen quærenda, quia multum homo proficit, quantumlibet parum de ipsa capiat.

*Vbifū. Sapientia est honorabilissima.*

10

Est enim maxime diuina, & quia est maxime de Deo, & quia eam Deus maxime habet.

Omnes